



Za. 200 B.



1. Croße, Jo.,
2. Derlingius, Christ. Gottfr.,
3. Ernesti, Jo. Aug.,
4. Jugler, Joh. Frid.,
5. Koelerus, Jo. Dav.,
6. Krigele, Mr.,
7. Nahnmacher, Gott.,
8. Barckius, Jo. Aug.,
9. Peger, Adrian.
10. 11. Walstizus, Jo. Ern. Im.,
12. Wundertich, Jo.,

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



6 CIX  
7

COM MENTATIO  
DE  
AVGVSTO  
TER CENSVM AGENTE  
AD LOCVM LVC.  $\overline{\text{II}}$   $\overline{\text{II}}$

---

QVA  
PATRONOS ET FAVTORES  
VT EXAVDIANT  
ORATIONES

A' D'  $\overline{\text{XXI}}$  MART' HOR'  $\overline{\text{X}}$  IN SCHOLA SENATORIA

HABENDAS

MAIOREM IN MODVM ROGAT

M. CONRADVS NAHMMACHER  
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAE HELMSTADIENSIS ET  
COENOBII MARIEVALL' SVBPRIOR

---

HELMSTADII  
PRELO IOANNIS DRIMBORNII



COM M E N T A T I O

DE

A V G V S T O

T E R C E N S V M A G E N T E

AD LOCVM LVC. II. II

I

**D**IVVS LVCAS Evangelista, quum in secundi capituli versu primo, de AVGVSTI edicto, ex cuius tenore census erat per totum orbem Romanum (a) agendus, exposuisset; haec consequenti commate verba subiicit: *Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας ΚΥΡΗΝΙΟΥ.* Quibus in verbis interpretandis omnis res eo redit, vt de quo AVGVSTI censu LVCAS exponat ostendatur. Nam AVGVSTVS, vicibus vna pluribus, nempe ter, censum egit. Testis eius rei est SVETONIVS. Ait enim: *Recepit (AVGVSTVS) et morum legumque regimen aequae perpetuum: quo iure quanquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit; primum et tertium cum collega, medium so-*

A 2

lus.

(a) Ad hunc modum Syrus verba: *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, interpretatur. Neque enim *ἡ οἰκουμένη* totum subinde terrarum orbem indicat, vt ex *Act. XI*,

28 videtur intelligi posse. *Orbis* autem vocabulo de imperio Romano OVIDIVS, FLO-RVS, EGESIPPVS ac alii, vti sunt

lus. (b) Eadem res, quam SVETONIVS paucissimis ver-  
bis proponit; aliquanto plenius cognoscere est, ex tabulae  
Ancyrae (c) fragmento; in cuius serie secunda haec  
AVGVSTI verba habentur: PATRICIORVM. NVMERVM.  
AVXI. CONSVL. QVINTVM. IVSSV. POPVLI. ET. SENA-  
TVS. SENATVM. TER. LEGI. IN. CONSVLATV. SEXTO  
CENSVM. POPVLI. CONLEGA. M. AGRIPPA. EGL. LV-  
STRVM. POST. ANNV. ALTERVN. ET. QVADRAGESI-  
MVM. FECL. (LEGL.) QVO. CIVIVM. ROMANORVM  
CENSITA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM  
MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA - - - CVM. NVPER  
LVSTRVM. SOLVS. FECL. (LEGL.) CENSOR. (d) -----  
SINIO. COS. QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM  
ROMANORVM - - - - QVADRAGENS. CENTVN. MILLIA  
ET. DVCENTA. TRIGINTA. TRIA. - - - - IN. CON-  
SVLATV. FI - - - - CVM. NVPERIME. LVSTRVM  
CONLEGA. TIBERIO. SEXT. POMPEIO. ET. SEXT. APV-  
LEIO. COS. QVO. LVSTRO - - - - - ROM. CAPITVM  
QVADRAGENS. CENTVM. MIL. - - - - - IGINTA. ET  
SEPTEM. MIL. LEGI. Quo ex fragmento patet, pri-  
mum censum ab AVGVSTO vna cum collega M. A-  
GRIP-

(b) *Lib. II de AVGVSTO, cap. XXVII, p. 156, ex recensione GRAEVII, Traiecti ad Rhenum clolcccviii*

(c) *Continetur his index rerum ab AVGVSTO gestarum, quem, ut SVETONIVS refert, vellet incidi in aeneis tabulis (σῆλας ΔΙΟ nominat,) quae ante Mausoleum statuerentur. Lib. II, cap. 101, p. 294.*

Ipsa fragmenta ANDREAS SCHOTTVS diuulgauit: sunt etiam apud GRVTERVM reperiunda, p. CCXXX, sq.

(d) Deleui literas VM, quas GRVTERVS habet: quod legendum est CENSORIVS et ASINIVS; quemadmodum ipse GRVTERVS ex IVSTO LIPSIO annotauit



GRIPPA II, quum communiter Consulibus munere fungerentur; alterum vno AVGVSTO iubente, MARCIO CENSORINO et ASINIO GALLO Consulibus; tertium vero ab AVGVSTO pariter atque TIBERIO, SEXTO POMPEIO et SEXTO APVLEIO Consulibus, actum fuisse

## II

PRIMVS itaque AVGVSTI census referendus est ad eum annum, quo M. AGRIPPA L. F. II, vna cum AVGVSTO imperii fasces tenuit. Ille vero, si STEPHANI VINANDI PIGGHII annales consequi voles, fuit annus P. R. C. DCCCXXV. Neque in ea re quisquam, praeter vnum CASSIODORVM, qui primum Caesaris consulatum omisit, quantum quidem scio, dissentit. De hoc ipso censu luculentum in GOLTZII fastis (e) monumentum exstat. quod ita habet: IMP. CAESAR. D. N. OCTAVIANVS. MORVM. LEGVMQ. REGIMINE. IN. DECENNIVM. ACCEPTO. SINE. CENSURAE. HONORE. CENSVM. P. R. TER. EGIT. PRIMVMQ. HOC. ANNO. In Capuanis insuper tabulis legitur, CAESAREM, se et AGRIPPA II Consulibus lustrum condidisse: ea tamen diuersitate, vt censoria potestate id fecisse dicatur. Atque sub huius potissimum anni initium vacasse AVGVSTO, vt censum viritim ageret, ex ipsis historiis intelligitur. Nam AVGVSTVS superiore anno, victo iuxta Actium, Epiri urbem, ANTONIO, Aegyptoque omni subacto; adeoque pacato vniuerso orbe, IANVM clauserat. At enim vero, hic census ille non est de quo LVCAS exponit. Nam nihil habuit peculiare, et in nulla re diuersus fuit ab

A 3

censu,

(e) Pag. 203

censu, quem Censores in campo Martio, iuxta Flumen-  
 tanam portam, peregerunt; nisi quod AVGVSTVS, no-  
 mine Magistri Morum, eum vna cum AGRIPPA egit.  
 Si itaque fingas, hunc esse censum a LVCA indigita-  
 tum; causam inuenire non poteris, ob quam LVCA  
 hunc potissimum primum dixerit: quum, si de censu con-  
 sucto istud vocabulum accipiatur, minime hic; sed ille  
 quem SERVIUS TULLIVS habuit, primus dici census  
 possit. Praecipue autem obstat hoc: quod LVCA, de  
 eo qui nascente CHRISTO actus est censu, refert; eum  
 ad vniuersum orbem Romanum pertinuisse. quod de hoc  
 censu non valet. Nam si etiam tum AVGVSTVS apud  
 se constituisset, totum imperium censere; tamen id effe-  
 ctui dare non potuisset; quod Caesar, quemadmodum  
 CROSIVS et HONORIVS Augustodunensis, quos PI-  
 GHIUS (f) excitat restantur, hoc ipso anno IANI fores  
 ante clausas, propter bellum Cantabricum reseravit. Ne-  
 que enim Romani orbis census breui peragi potuit. Iam  
 vero si sumamus, omnino AVGVSTVM hoc tempore  
 vniuersalem censum suscipere voluisse: quoniam SEPVL-  
 VEDA et GERVNDENSIS obseruarunt, recensioem  
 totius imperii, XXVII annis ante CHRISTVM natum,  
 Tarracone, vrbe Hispaniae, promulgatam fuisse: ex  
 eius rei impeditioe summa Dei sapientia cognosci pote-  
 rit. Siquidem, si eo tempore vniuersalis census institui  
 potuisset; iterum non fuisset CHRISTO nascente susce-  
 ptus. Neque adeo MARIAE fuisset ad ciuitatem Bethle-  
 hem proficiscendum, rel

III

(f) In *annalibus Romanorum*,  
*tom. III, lib. XVII, p. 504. ed.*

Antverpiae cIoIocx, ex offi-  
 cina Plantiniana

## III

ALTER, qui AVGVSTO auctore actus est census, ad C. MARCII CENSORINI et C. ASINII GALLI Consulatum pertinet. quorum nomina in cippis duobus Tiburtinis, qui Romae in vinea Cardinalis Carpensis habentur exstant: numismata autem eorum apud GOLTZIUM (g) reperies. Annus vero, quo hi duumviri fasces susceperint, septingentesimus quadagesimus et quintus ab urbe dedicata esse, a GOLTZIO et PIGGHIO asseritur. LIPSIVS (h) vero putat, hos fuisse Consules anno V. C. LXXXVII: qua in re, quum DIONEM in partes vocet, me habet consentientem: licet in ea quaestione, ut late, hic de quo iam agitur census, patuerit; in diuersa eam. De hoc ipso censu in fastis monumentum exstat, quod iam consequitur: IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS SINE GONLEGA CENSVM VICATIM EGIT LVSTRVM NON FECIT. Pertinere autem hoc monumentum ad alteram AVGVSTI recensioem, inde intelligitur: quod SVETONIVS refert, AVGVSTVM *medium* censum *solum*, et sine collega adeo, egisse. Cum Ancyranis autem tabulis, hoc monumentum non omnino consentit. Siquidem in illis lustris mentio fit: in hoc vero negatur AVGVSTVM lustrum condidisse. quod tamen ipsam causam non attingit

## IIII

HVNC omnino censum diuum LVCAM respicere putat

(g) In *fastis*, p. 216

(h) Vid. GRVTERVM, p. CCXXX,  
not. 1

## VIII

putauerim: quod temporum ratio ei sententiae fauet. Nam ille census optime referri potest ad eum annum, quo CHRISTVS, reciperator gentis humanae, natus est. Non vna quidem est, fateor, de anno natiuitatis IESV sententia. Sed potior tamen, et quae aliis omnibus antehabenda videtur esse, est haec: CHRISTVM natum esse L. CORNELIO LENTVLO, et M. VALERIO MESSALINO Consulibus: qui eam dignitatem anno v. c. lccc, vt PIGGHIO videtur, adeoque anno xli imperii AVGVSTI, sunt consequuti. Atque ad eum annum TERTVLIANVS CHRISTI natiuitatem refert, his verbis: *Videamus autem quoniam quadragesimo et primo anno imperii AVGVSTI, quo post mortem CLEOPATRAE imperauit, nascitur CHRISTVS. Et superuixit idem AVGVSTVS, ex quo nascitur CHRISTVS annis XV: et erunt reliqua tempora annorum in diem natiuitatis CHRISTI anni xli.* (i) EVSEBIVS, Caesarensis Episcopus, et CASSIODORVS diserte affirmant, IESVM, eorum quos nominavi Consulatu, natum esse. Idem SETHVS CALVISIVS fecit; qui putat, eos anno mundi cccclxxviii Consules fuisse. (k) Mitto iam reliquos. Iam, si IESVS natus est anno v. c. lccc; ab exordio huius census vsque ad CHRISTVM natum tres anni, si LI-  
PSIVM

(i) In libro *aduersus Iudaeos*, sectione de *passione Christi et vastatione Hierusalem*, p. 128, ed. Frobeniana, cum annotationibus BEATI RHENANI, Basileae cccclxxviii.

(k) In *opere chronologico*, p. 423, ed. Francofurti ad Moenum

cccclxxxv. DIONYSIVS PETAVIVS annum natiuitatis CHRISTI finire noluit: sed vniuersè ait, eum *sub Olympiadem 194* natum esse: in *rationario temporum*, part. I, lib. V, p. 265, ed. Moguntiae cccclxxvi.

PSIVM sequare, defluxi sunt. Si autem ita quemadmodum GOLTZIVS et FIGGHIVS calculum subducas, quinque. Ac fuerunt omnino plures anni, huic censui impendendi: quod ad totum orbem Romanum pertinuit, de quo statim dicam. Ut diuturna vero res sit censum agere, inde potest intelligi, quod IOAB, quum Hebraeos, auctore DAVIDE, censeret, in eo per decem prope menses occupatus fuit: licet ad Leuitas et Beniamitas, ut IOSEPHVS refert, non spectauerit. quo eodem argumento HVETIVS (1) in eadem causa vsus est. Quod si itaque Palaestinam cum imperio Romano, quantum quantum fuit, componas; ut multi menses infumendi fuerunt in eius lustratione et censu? Atque, si etiam vel maxime alii in aliis Prouinciis censum peregerunt; tamen parum verosimile est, id vno tempore factum esse: siquidem tabulae censuales ad AVGVSTVM mittendae erant; ut inde perspiceret, ut multi et quales suo in imperio homines degerent: enimvero quis crederit, AVGVSTVM tot rebus simul, ut HVETIVS arguit, cognoscendis et ad examen reuocandis animum adhibere potuisse: quod perfacile erat, si res ordine gesta esset. His HVETII argumentis addiderim hoc; videri omnino, si MARCII CENSORINI et ASINII GALLI Consulatum non ad annum v. c. ICCCXLVII; sed ICCCXLV reuocare voles, bellum huic censui aliquam moram iniecisse. Nam hoc ipso anno TIBERIVS expeditionem contra Germanos fecit: qui etiam consequenti anno quosdam motus

(1) In demonstratione euangelica  
ad serenissimum Delphinum,

propof. VIII, cap. X, p. 781, ed.  
V. Lipsiae clodocci

motus dedere. Atque tum demum totus fuit orbis sub  
CHRISTI natiuitatem terra marique pacatus

## V

LONGE alia huius census ratio fuit, quam eius, quem antea AVGVSTVS egit; et quem deinceps suscepit. Nam hic per totum Romanum orbem actus fuit, quemadmodum LVCAS primo versu capitis secundi refert. Spectat huc etiam SVIDAE locus, qui est hic: *Ὅτι ἈΥΓΟΥΣΤΟΣ Καίσαρ δόξαν αὐτῷ πάντας τὰς οὐκίτας Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖ, βεβλόμενος γινῶσκει πῶσον ἐστὶ πλῆθος. Visum aliquando AVGVSTO fuit, omnes terrae Romanae incolas sigillatim recensere; quum scire cuperet, ut multi eorum essent. Ex quo pariter loco patet, hunc censum, non propter aestimationem facultatum, aut aliquam capitationem; sed vnice propter cognoscendum subditorum numerum fuisse institutum. Id vero ipsum ex eo etiam intelligitur, quod LVCAS refert, IOSEPHVM se Bethlehemum contulisse, quo vna cum MARIA censeretur. Nam si ille facultatum ergo fuisset susceptus, ad MARIAM non pertinuisset: quoniam in aestimatione facultatum non feminae, sed ciues vnice solebant censer. Atque haec, quae de condicione huius census dixi, Ancyranis tabulis minime repugnant: licet his inscriptum sit: censa esse capita quadragies centum millia et ducenta triginta. qui numerus nimis exiguus est, quam ut fingi possit, Proninciarum incolas eo contineri. Nam, ipse AVGVSTVS provide, antequam numerum afferret, his verbis vsus est: QVO LVSTRO CENSA SVNT CIVIVM ROMANORVM capita;*

ta ; quo indicaret, hunc numerum saltem de ciuibus Romanis accipiendum esse, qui Romae, se lustrum condente, censi fuerint. Itaque hic numerus eorum vnice est qui in meditullio Romano censi sunt. Hoc in loco non videtur praetereundum esse, *SVIDAM*, qui recte de ipso censu, vti dixi, sensit, in numero tamen censitorum lapsus esse. Siquidem eorum, qui in toto orbe Romano inuenti sunt numerum, quadragies et semel centena millia mille et septendecim fuisse memorat. Quis enim crediderit, plures non fuisse orbi Romano incolas ? Neque alterum istud : nempe censum non propter tributum ad facultates cuiusuis attemperandum ; sed ob numerum subditorum cognoscendum ; et mera adeo ex curiositate susceptum esse, Ancyranis tabulis obuersatur : quoniam nulla in eis facultatum mentio fit. *Quin* adiuuatur eo, quod *AVGVSTVS* hunc vnum censum *solum* agere et sine collega voluisse dicitur. Nam quod de vno lustro ipsis in tabulis affirmatur, id de censu etiam sumendum esse, ex *SVETONIO* patet. Quae omnia si consideraueris, obscurum iam tibi esse non poterit : quam ob rem *LVCAS* hunc censum primum vocauerit : nimirum propterea, quod ille est primus, qui toto orbe Romano actus est. Nam, quod primum hunc censum dicit *LVCAS* versu secundo, referendum est ad id, quod primo in versu de eius vniuersalitate dixerat. Potuit etiam primum eum conuocare, quod antea census actus non erat, quin ad facultates pertineret : hic vero non item ; et quod mulieres ante censae non fuerant, rel. Vniuersae autem ex eo, quod hic census alieno ab aliis modo, et ex mera *AVGVSTI* curiositate actus est ; summa Dei

sapientia elucescit: qui eo flexit AVGVSTI animum, vt rem susciperet, quae ad vaticinationis de Messia Bethlehemi nascendo complementum spectaret. Quod ipsum CHRYSOSTOMVS etiam affirmat, καὶ ὁ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, inquit, ὑπηρετεῖται τῷ ἐν Βεθλεὲμ τόκῳ, διὰ τὴν προστάγματος τῆς ἀπογραφῆς. Et AVGVSTVS ipse futuro in Betlehem partui per descriptionis seruit imperium (m)

## VI

DISPICIENDVM nunc erit, num etiam, cum his quae hactenus dixi consentiat, quod LVCAS dicit: hunc censum actum fuisse ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας ΚΥΡΗΝΙΟΥ. Ordinar a nomine ΚΥΡΗΝΙΟΥ. IOANNES MILLIVS annotavit, nonnullis in codicibus legi ΚΥΡΙΝΙΟΥ, ΚΗΡΥΝΙΟΥ, vel ΚΥΡΕΙΝΟΥ. Quemadmodum autem Graeci ΑΚΥΛΑΣ scribunt pro AQVILA: ita ΚΥΡΗΝΙΟΣ est QVIRINIVS. Atque ita Consulis Romani, qui ortus est apud municipium Lanuuium nomen, apud TACITVM scribitur. quae etiam scriptio ex STRABONE, DIONE et IOSEPHO probari potest. In FLORI autem duobus scriptis codicibus, quos LIPSIVS versavit, alter habet CVRINIVS alter QVIRINVS. Ac QVIRINVS in numismate etiam apud GOLTZIVM legitur. Fuit autem QVIRINIO etiam Sulpicium nomen: quantumvis nihil ad patriciam Sulpiciorum familiam pertinuit. Consequitur loquela ἡγεμονεύοντος. Atque hic notandum venit, loquelas ἡγεμονεύειν, ἡγεμονία et ἡγεμών, de quavis potestate insigniori

(m) In cap. II MATH. homilia VIII, Operum tom. I, p. 95, ed. ex recensione FRONTO-

NIS DVCAEI Societ. IESV, Francofurti ad Moenum clō- ICCCXVII



signiori solere vsurpari. In sacra scriptura istae voces non minus de Procuratore; quam de Imperatore adhibentur. Ita FELIX, vt hoc vtar, ἡγεμῶν in gestis Apostolorum (n) vocatur. PILATVS etiam ὁ ἡγεμῶν apud MATHAEVM (o) dicitur; et ἡγεμονεύειν apud LVCAM. (p) Apud IOSEPHVM quoque varia his vocibus significatio subiecta est. vtpote qui in aliis ANTONIVM GABINII legatum ἡγεμόνα conuocat. ISAACVS CASAVBONVS obseruat, Iudaeos etiam hasce voces Graecas suas fecisse, et de potestatibus qua ciuilibus, qua ecclesiasticis frequentasse. (q) Hinc putauerim intelligi posse, nullam vim LVCAE verbis inferri, si etiam de imperio QVIRINIO extra ordinem demandato, atque ad censum in Syria et Iudaea peragendum restricto, exponantur. Suadet autem hanc interpretationem potissimum hoc, quod CHRISTO nascente C. SENTIVS SATVRNINVS Praeses Syriae videtur fuisse. Siquidem FLAVIVS IOSEPHVS refert, HERODEM magnum, rem de Trachonitarum defectione ad SATVRNINVM Syriae Praesidem, eiusque Procuratorem VOLVMNIVM, (ita enim IOSEPHI verba intelligenda sunt,) derulisse. (\*) Vnde intelligitur, eum ad minimum aliquot annis, antequam HERODES, quo regnante CHRISTVS natus est, oppetiit, Syriae praefectum fuisse. De eo autem, qui ei successerit, IOSEPHVS ad hunc modum scribit: *Forte per idem tempus Hierosolymae*

(n) Cap. XXIII, 10

(o) Cap. XXVII, 2

(p) Cap. III, 1

(q) In erercitationibus de rebus sacris et ecclesiasticis ad Cardinalis BARONII prolegomena in annales et primam coram

B 3

erat

partem de D. N. IESV CHRISTI natiuitate, vita, passione, assumptione, exerc. I, cap. XXXI. p. 127. ed. Geneuae 1701.

(\*) De antiq. Iud. lib. XVI, cap. XIII, p. 443

erat QVINCTILIUS VARVS, successor SATVRNINO missus in Syriam, tunc vero ab HERODE in consilium de rebus agendis adhibitus. Quibus una sedentibus superuenit ANTIPATER omnium in seius, et ita ut erat purpuratus in regiam ingressus est. (r) Itaque sub ANTIPATRI reditum SATVRNINVS imperio Syriae decessit, eiusque in locum VARVS successus fuit. Iam, ex historiae apud IOSEPHVM compage intelligitur, ANTIPATRVM non multo ante HERODIS obitum Roma rediisse. Ergo ex tempore, quo HERODES magnus obiit, de successione VARI statuendum erit. IOSEPHVS testatur, HERODEM anno trigesimo septimo, ex quo ab Romanis Rex declaratus est, decessisse. Quum autem Rex creatus sit anno v. c. ICCCXIII, quod etiam IACOBVM LENFANT video asseuerare: mors eius referendus erit ad annum v. c. Ioccli; atque primum adeo post CHRISTI natiuitatem annum. Idem inde cogitur, quod IOSEPHVS inde a victoria Actiaca, vsque ad ARCHELAVM proscriptum, xxxvii annos effluxisse adstruit. Nam, si id de solidis accipias annis, ac novem solidos, quos ARCHELAVS post HERODIS mortem regnavit demas, HERODIS mors ad annum v. c. Ioccli pertinebit. Siquidem iuxta Actium pugnatum est ann. v. c. ICCCXII, OCTAVIANO III et M. VALERIO MESSALA Consulibus. Ex lunari etiam defectione, (s) quae HERODE morbo affecto accidit, finiri tempus, quo mortuus est HERODES, solet. Volunt autem, eam anno v. c. Ioccll evenisse. Sed notandum admodum diuturnum

(r) In *antiq. Jud. lib. XVII, cap. VII. p. 459.*

(s) Vid. IOSEPHVS SCALIGER in opere de emendatione

*temporum, lib. V, p. 463, lit. B. ed. Coloniae Allobrogum 1616CCXXVIII*

num HERODIS morbum, vt ex IOSEPHI relatione patet, fuisse: atque adeo, si etiam verum sit, quod de anno defectionis lunae referunt, inde tamen argui non posse, HERODEM ante annum v. c. Ioccli demortuum esse. Quod si itaque HERODES primo demum post CHRISTVM natum anno fatis functus est: ac VARVS SATVRNINO successit, quum ANTIPATER breui ante HERODIS mortem Hierosolymam reuenteretur: inde admodum procliuè est, CHRISTO nascente SATVRNINVM adhuc Syriae praefuisse. Quinimo, si etiam dederis, quod nonnulli volunt, eo ipso anno quo CHRISTVS natus est HERODEM occidisse: tamen inde non consequetur, fieri non potuisse, vt SATVRNINVS adhuc Syriae praefuerit, quando CHRISTVS natus est. Nam qui ita statuunt, ad minimum tamen concedent, per aliquod temporis spatium ex quo CHRISTVS natus est, sanum ac incolumem HERODEM fuisse: siquidem concilium propter magorum aduentum coegit; et internecionem puerorum in Bethlehemo molitus est. Atque eo tempore VARVS potuit SENTIO SATVRNINO succedere; et ANTIPATER Hierosolymam peruenire. Omnino autem SATVRNINVM Syriae, quum CHRISTVS nasceretur praefuisse, certius ex TERTVLLIANO, quam ex IOSEPHO videtur demonstrari posse. Ait autem: *Sed et census constat actos sub AVGVSTO nunc in Iudaeam per SENTIVM SATVRNINVM, apud quos genus (IESV) inquirere potuissent.* (\*) Quo in loco istud per, non eo est intelligendum, quasi ipse SENTIVS SATVRNINVS censum egerit: sed quod illo

(t) Nolim tamen his annumerari F. HENRICVM NORISIVM et ISAACVM CASABONVM. Quantumvis enim hi affirmant VARVM SATVRNINO anno v. c. Ioccl successisse: referunt ta-

men natuitatem IESV ad annum v. c. Iocclviii. quo SATVRNINVM adhuc Syriae volunt praefuisse

(\*) *Adversus MARCIONEM, lib. III, cap. XXVIII, p. 256*

illo Syriam moderante, oecumenicus census actus est; nempe in Syria et Iudaea abs QVIRINIO. Nam TERTVLLIANVS id quod refert, ex tabulis censualibus defumfit. in quas non eius, qui AVGVSTI iussu censum egerat, nimirum QVIRINII: sed ordinarii Syriae Praefecti, nempe SATVRNINI nomen referendum fuit. Ac reapse TERTVLLIANVM istas tabulas cognouisse et inspexisse, negari non potest: quoniam alio in loco, de censu AVGVSTI ita fatur: *quem testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt.* Quin ex iis aliquid excitat; *sicut apud Romanos, in censu descripta est MARIA, ex qua nascitur CHRISTVS*

Hinc iam ad declamatorios pergam

WILHELM. DIDER. HOLZHAVSEN, qui per duo annos et quod excurrit, duce me ac suafore, diligentem literis mansuetioribus operam nauauit, de eo abiens dicit, *quod ex eorum etiam, quæ pestiferis opinionibus corrupti sunt ceptis, aliquod argumentum pro diuiniore religionis veritate duci potest*

Excipiam eum ego, eiusdem argumenti oratione; ac pia vota effundam, pro SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI nostri CAROLI sempiterna salubritate: quod iam Brunsvigam reuertens, vberae apud omnes laetitiae auctor exitit

Erat etiam vale dicturus ANDREAS GEORGIVS HASE: nisi prius ad munus ipsi demandatum introductus fuisset, quam se occasio suscipiendae orationis offerret. Interim tamen committere non potui, quin hic aliquam eius mentionem facerem: quod dum in nostris subfelliis versatus est, talem se praestitit, qualem decet Literaturae cultorem esse. Faxit Deus, vt eum multa diu bona consequantur

FAVL. FRIDER. AVGVST ALBERTI ostendet, *prurimum damnatos et suppressos libros legendi, comescendum esse*

IO. CHRISTOPH. KÜHNE aget de eo, *quod vocabulis fortuna et infortunium, nonnunquam significatio providentiae parum congrua subiicitur.* et quidem lingua Theotisca

Quibus orationibus a. d. XXI Mart. hor. X habendis, vt interesse Patroni ac Fautores velint, quam officiosissime ab ipsis peto. Scrib. Helmstadii a. d. XIII Mart. A. R. S. cloIsCCLVIII


oro-  
rro-  
iro,  
iffe,  
ter,  
non  
gen-  
L.A.  
N.  
Au-  
Li-  
lum  
pe-  
ruit  
fer-  
mo-  
um  
i. i.  
llas  
llu-  
in  
am  
am  
im  
li-  
res



Nb 2332.

8<sup>th</sup>

(X 231/1022)

V. G. 









COM M E N T A T I O  
DE  
A V G V S T O  
T E R C E N S V M A G E N T E

AD LOCVM LVC · II · II

---

QVA  
PATRONOS ET FAVTORES  
VT EXAUDIANT  
O R A T I O N E S

A · D · XXI MART · HOR · X IN SCHOLA SENATORIA

HABENDAS

MAIOREM IN MODVM ROGAT

M · CONRADVS NAHMMACHER  
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAE HELMSTADIENSIS ET  
COENOBII MARIEVALL · SVBPRIOR

---

HELMSTADII  
PRELO IOANNIS DRIMBORNII

6 LIX  
7